MARII NIZOLII BRIXELLENSIS ORATIO,

HABITA IN PRINCIPIO ACADEMIAE SABVLONETANAE, TAM GRAECAE quàm latinæ ab Illuſtriſſimo Principe VESPASIANO GONZAGA in Sabuloneta ſua nuper a ſe condita, nuper inſtitutæ.



PARMAE
Ex Typographia Seth Viotti.
M D LXIII.

MARII NIZOLII BRIXELLENSIS ORATIO, HABITA IN PRINCIPIO Academiæ Sabulonetanæ, tam græcæ quã latinæ ab Illustrissimo Principe VESPASIANO GONZAGA in Sabuloneta sua nuper a se condita, nuper institutæ.

QVOD faustum, felix, fortunatum'q; sit, Illustrissime & Excellentissime Princeps VESPASIANE Gonzaga, vos'q; ceteri, quicunq; adestis, auditores præstãtissimi, hodierno die, qui est dies festus Diui Nicolai, scholarum protectoris, & discipulorum patroni:& idẽ quoque dies natalis felicissimi Principis nostri, vtroque eorum nobis, vt speramus, bene fauente, & adiuuante aggredimur, & auspicamur exercitationem studii literarii, & Academiæ nouæ tam græcæ, quàm latinæ. quam sapientissimus Princeps noster post ædificationem pulcherrimi huiusce oppidi sui, ad frequentationem& ornamentum illius sapientissime excogitauit: & excogitatã pari sapientia, sine vllà cunctatione ad principium effectum'q; perduxit. Quamobrem nos quoque quibus idem Princeps muneris huius curam, &

administrationem, hoc est, prælegendi, & docendi onus demandauit: hoc ipso sacratissimo die, hac ipsa musis humanioribus dicata sede, verba facturi sumus, & de mirabili oppidi huius ædificatione, & de sapientissima studii literarii institutione, & vnà cum his etiam de præstantissimis, & maximis laudibus illius, qui vtriusque rei tam præclaræ nobis auctor extitit. Quorum trium dicendorum quamuis vnum quodque per se ipsum sit ita ferax & fertile ad dicendum, vt ex eo vna vel bene longa & iusta oratio fieri possit: attamen ipsi nos ita moderabimur, & ex ingenti copia nō nisi selectissima quæque capiemus, vt orationem facturi simus, quantum per ætatem licebit, & tempori huic, & loco, & personis audientibus accommodatam. Itaque vos omnes etiam atq; etiā oro, & obsecro, præstantissimi auditores, vt mihi dicturo hodie benignas aures vestras præbeatis, & ea quæ dicturus sum diligenter, & attente audiatis. Ex eis enim vt spero, magnam omnes capturi estis & voluptatem, & vtilitatem. Sed, antequam accedo ad dicēdum de iis, quæ proposui, necessariò mihi præfandum arbitror, non debere quēquam vestrum admiratione affici, si hæc oratio nostra non tam fortassis erit ingeniosa, quàm sperabatur, nec tam artificiosa, quàm optabatur, nec tam firma memoria recitata, quàm expectabatur. Non enim adsunt in nobis amplius ea bene dicendi subsidia, atq; adiu-

menta, quæ solebant, non acies ingenii, non perspicacitas mentis, non integritas sensuum, non firmitas memoriæ, nō denique quidquam aliud eorum, quæ ad orationem bene præclareq; faciendā requiruntur. Hæc enim omnia, hæc, inquam, omnia, si nō omnino, at certe magna ex parte abstulit senectus hæc, quam videtis, iam penè decrepita, & ad cursus sui finem breui peruentura. O senectutem humanæ naturæ depopulatricē. nunc re ipsa experior, verissimum esse illud, quod a sapientissimo poeta dicitur. Omnia fert ætas, animū quoque. hoc est, vt ego interpretor, & ingenium, & mentem, & memoriam, & reliquas omnes animi facultates. Quod cum ita sit, nemo vestrum mirari debebit, si oratio nostra non erit talis, qualis antè fuit. Non enim est eadem ætas, nec eadem facultas, quæ ante fuit. Sed iam, omissis inutilibus querelis de senectute; veniamus ad id, quod primo loco propositum fuit dicendum; hoc est, ad mirabilem oppidi huius ædificationem. In quo condendo illud mihi ante omnia maxime admirandum videtur, quòd vbi nunc est Sabuloneta noua, hoc est, vbi nunc sunt tot nouæ, & pictæ domus: tot latæ, & stratæ viæ: tam ampla, & spatiosa platea: & tam multa alia oppidi huius ornamenta; ibidem ante tres annos, præter arcem, & pauculas quasdam domos; nihil, vt audio, fuit ædificati. sed tantummodo fossa ingens aquis, ranisq; plena, & circa

fossam loca inculta, herbis, dumisq; obsita; quæ aspicientibus tunc quiduis potius, quàm oppidi aliquando incolendi fundamentum, ac sedes fore videbantur. Ac talis quidem nunc, hoc est, tam pulcher, tamq; visendus est aspectus sabulonetani soli tam repente mutati. & talis tunc, hoc est, tam horrida & inculta erat facies eiusdem soli, antequã conderetur. Quæ cum videret & diligenter consideraret magnanimus Princeps noster, more veterum heroum, qui ferè omnes vrbium cõditores fuerunt, nullo labore, nulla difficultate, nullo sumptu perterritus, statim adiecit animum ad tam difficilem tamq; laboriosam oppidi molem condendam, hoc est, ad opus vere heroicum & diuinum. Nec mirum, quum ipse quoq; ex Alouisio Gonzaga, cognomẽto Rodamonte, clarissimo temporum nostrorum Heroe, & quasi semideo quodam natus sit. De cuius virtutibus, quæ sunt innumerabiles, & ad miraculum vsque incredibiles, quãuis verissimæ sint, alias dabitur nobis dicẽdi locus. Nunc ad filium reuertor, qui cũ applicuisset animum ad tam nobilissimum opus peragendum, id, quod susceperat faciendum, incredibile dictu est, quàm breui temporis spatio, & quanta omnium admiratione perfecerit. Nam cum videamus multas priuatorum domos, easq; non admodum magnas, vix interdum octo vel decem annis cõstrui, ipse (quod miraculi cuiusdam instar est) tantam

oppidi molem, tantum domorum numerum, nõ pluribus quàm tribus annis absoluit. O absolutionem admirabilem, o celeritatem incredibilem, sed nihil admirabile videri debet in sapientissimo cõditore nostro. Ipse enim omnem laborem diligẽtia, omnem difficultatem industria, omnem sumptum liberalitate sua superauit: & his virtutibus oppidum hoc tam celeriter, tamq; repente condidit, vt non ab homine aliquo mortali, sed a deo quopiam cælesti conditum fuisse videatur. Ac celeritas quidem oppidi huius condendi quamuis valde admirabilis sit, nihilo tamen admirabilior fuit, quàm nunc est eiusdem conditi vel pulchritudo, vel communitio, duo maxima conditorum oppidorum ornamenta. Nam quod ad pulchritudinem attinet, si diligenter inspiciamus, & elegantem domorum constructionem, & directam viarum latitudinem, & quadrilateram plateæ amplitudinem, & aliarũ partium dispositionem atq; ordinem, quo nihil pulchrius cerni potest. Quod autem spectat ad communitionem, si rursus eadẽ diligentia consideremus, & profundam fossarum altitudinem, & excelsam aggerum sublimitatem, & inexpugnabilem propugnaculorum firmitudinem ad propulsandos quoscunq; hostium impetus idoneam: si, inquam, hæc omnia diligenter cõsideremus, profectò reperiemus, Sabulonetam nostram & pulchritudine ædificiorum, & firmitu-

dine munitionum omnibus finitimis oppidis longe esse anteponendam, sic, vt tanquam sol inter reliqua sidera clarissime præfulgeat. Neq; vero his duabus oppidi tam pulchri tã'q; muniti laudibus quidquam cedunt illæ aliæ nihilominus æstimandæ, quòd habitatoribus illius vel nihil omnino, vel certe non multum est timendum; nec ab annonæ caritate, propter agri fertilitatem; nec a pestilentia, propter cæli salubritatem; nec ab iniustitia, propter Principis æquitatem; nec a crudelitate, propter eiusdem clementiã; nec deniq; a multis aliis malis, propter copiosam rerum bonarũ multitudinem. Ex quibus omnibus facile mihi videor posse concludere, Sabulonetanos habitatores præ aliis finitimis habitatoribus, meritò dici posse faustos & fortunatos: quippe quibus contigerit, vt tã pulchrum tam'q; munitum oppidum incolerent, & a tam iusto tam'què clementi Principe gubernarentur: & vicissim Principem ipsum quoque non minus dici posse beatum & felicem, vt pote qui in tali oppido, hoc est, tam bonis omnibus affluenti dominetur, & subditos habeat tam fideles, & Principis sui dicto tam audiẽtes. Quin etiam illud addere non vereor, Romam nouam cum Sabuloneta noua, & Romulum conditorem cum Vespasiano conditore non iniuria conferri posse. Nam, quemadmodum Roma noua tum, cum primum condita est, parua erat, muris eius magnitudinem

Palatini

Palatini montis non excedentibus, & Capitolino monte nondum ad vrbem addito: sic Sabuloneta nuper condita non magna est, hoc est, non multo minor vel maior, quàm Roma noua. Et rursus, quemadmodum Romulus Romam in montibus excauatis, sic Vespasianus Vespasianam suam in fossis terra repletis cōdidit. Nec quisquam vestrũ miretur quòd dixi, non Sabulonetam, sed Vespasianam a Vespasiano conditam. Cur enim non, quemadmodum a Romulo Roma, a Vitellio Vitelliana, quæ non longe hinc abest, sic etiam a Vespasiano conditore Vespasiana condita nuncupetur? Certe ego eam, quod ad me attinet, sic appello, id'q; etiam testor Epigrammate quodam a me nuper composito in hanc sententiam.

Hæc est terra sui auctoris de nomine dicta
Sabloneta prius, Vespasiana modo.
Romulus vt Romam in saxis, ita Vespasianam
Siccatis posuit Vespasianus aquis.

Ac de oppido nostro tam condito quam condendo satis iam multa diximus. nunc superest, vt pauca etiam dicamus de institutione studii literarii, & de sapientissimo eius institutore, quo in studio & Academia noua instituenda, sicut & in oppido cōdendo prudentissimus institutor noster imitatus est Romulum, hoc est, Heros Heroem, & conditor conditorem, & institutor institutorem. Nam, quemadmodum Romulus post conditam Romã

ſuam, ſtatim de ea frequentanda, & hominibus replenda cogitare cœpit, ſic Veſpaſianus poſt conditam Veſpaſianam ſuam idem fecit, ſed longe alia ratione quàm Romulus: atq;, vt mihi quidem videtur, multo iuſtiore. Non enim, quemadmodũ Romulus, mulieres alienas rapuit, & Aſylũ aperuit, quò confugerent malefici & ſicarii homines non tam ad habitandum, quàm ad impunitatem ſcelerum ſuorum conſequendam: ſed gymnaſium literariũ, Academiam'q; nouam inſtituit, quò cõuenirent pueri totius ditionis ſuæ & finitimarũm regionum ad literas latinas græcas'q; diſcendas, & ad omnem humanitatem percipiendam. Sic enim ſapiens ille ſapienter cogitauit, non ſatis eſſe, ſi oppidum ſuum, quamlibet pulchrum & munitum condidiſſet, & conditum frequentaſſet quamlibet numeroſa imperitorum multitudine: ſed ſi ipſum quoq; & ſtudioſa diſcentium, & docta docentium hominum frequentia nobilitaret. Hæc enim demum eſt vera oppidorum ædificatorum & vrbiũ conditarum frequentatio & celebritas. Id quod effeciſti, quantum in te fuit, Princeps Illuſtriſſime & Excellentiſſime. Iam enim cõuerſa oratione ad te, non ſolum de te, ſed etiam tecum loquor. Tu, tu, inquam, id iam effeciſti, quantũ in te fuit: primum excogitata tam ſapienter hac Academia noua: deinde eadem nobis tam celeriter inſtituta: & poſtremo etiam exornata & inſtructa rebus omni-

bus ad bene docendum diſcendumq́; pertinenti-bus, ſic, vt iure optimo dici & appellari poſſis nõ modo noui oppidi conditor, perfector, & frequẽtator; ſed etiam nouæ Academiæ excogitator, inſtitutor, & exornator. Pro quibus omnibus tam præclaris virtutibus tãq́; laudabilibus actionibus tuis (vt iam ad id, quod poſtremo loco mihi dicẽdum propoſui, accedam) equidem valde cupio te, vt debeo, cõmendare, & reliquas ſingulares, præſtantiſſimasque virtutes tuas commemorare, ſed impedior pudore & modeſtia tua. Vereor enim vt præſens a præſente, Princeps a ſubdito, benemeritus a beneficiorum memore, quamuis meritas & debitas, laudes tuas audire poſſis. Nam, quamuis laus virtuti, tanquam ſuum ac proprium præmiũ debeatur, & virtutem tanquam vmbra hominem in ſole incedentem vel inuitum ſequatur: tu tamen cõnſcientia recte factorum tuorum contentus, & nullum aliud virtutis præmium niſi virtutẽ ipſam quærens non cupiditate laudis, ſed amore virtutis recte facis. Quod quanquam ita ſit: tamen, quẽadmodum Traianus ille optimus & ſanctiſſimus Princeps Romanus pulcherrimum illum C. Plinii Secundi Panegyricum laudes ſuas ad cælum tollentem libenter audiuit; ſic tu quoq; orationẽ noſtram præclara rerum tuarum præconia celebrantem, quamuis Panegyrico illi non cõparandam, tamen, qualiſcunque eſt, nõ inuitus audire debes.

Iam enim audemus te, quemadmodum supra tanquam conditorem cũ Romulo cõditore: sic nunc tanquã populorum gubernatorem cum Traiano populorum gubernatore comparare. Neq; enim, si ille & plures et maiores populos gubernabat, idcirco virtutes illius plures & maiores sunt putandæ, cum virtus gubernatoris non ex multitudine & magnitudine rerum gubernatarum, sed ex bonitate & rectitudine gubernatoris perpẽdi & æstimari debeat. Itaq; cum videmus regnum tuum quamuis non ita magnum a te vno æque bene ac prudenter gubernari, sicut magnũ illud imperiũ Romanum a Traiano cum tam multis consiliariis & adiutoribus gubernabatur: non putamus virtutes tuas virtutibus illius esse inferiores. In Traiano enim iam sene veteres illi Romani iure laudabant virtutes omnes summa cũ rei militaris peritia cõiunctas: nos hæc eadem omnia in te non sene, sed vix dum trigesimum & tertium annum nato summa cũ laude admiramur. Præterea Traianus multa quidem & præclara bella gessit per se, sed non nulla etiam per duces & Imperatores suos, vt cum plurima & maxima laus illi, tum non nulla etiam ducibus & Imperatoribus suis debeatur: tu omnia bellica gesta tua, omnes militares actiones tuas nõ per alios, sed per te ipse cõfecisti, & totã laudẽ rerum gestarum tuarum tibi ipse vendicasti. Audiuimus enim, & pro certo compertũ habemus, te,

cum adhuc esses adolescens, sub Carolo Austrio Imperatore, & Philippo eius filio ducibus inuictissimis, & magnis bellis interfuisse, & magnos ordines duxisse, & magnis copiis præfuisse, ac deniq; illa omnia fecisse, quæ boni tyrones, boni milites, boni duces & Imperatores facere consueuerunt. sic, vt nullius militaris scientiæ partis omnino sis expers. Huc accedit postremo, quod Traianus quãuis princeps optimus & Imperator belli fortissimus, tamen non multum in studiis doctrinæ versatus fuisse, & paruam admodum scientiæ ac literarum cognitionem habuisse legitur: siue quia ei nõ vacauerit in tantis Imperii negotiis, & inter arma literis operam dare, siue quia existimauerit, communes literas, & doctrinas Imperatori bellorũ, & gubernatori tanti Imperii non multum esse necessarias. Quod si existimauit, haud scio quàm recte fecit, cum videamus magnum illum Alexandrum Macedonem non modo [illegible] his humanioribus disciplinis præclare imbutum fuisse, sed etiam recõditis & abditis philosophiæ studiis sub Aristotele præceptore operam dedisse: & C. Iulium Cæsarem tantum illum Principem & Imperatorem tanta literarum cõmunium cognitione & scribendi exercitatione fuisse præditum, vt nõ solum fecerit maxime digna, quæ scriberentur, sed etiam scripserit maxime digna, quæ legerẽtur. Atq; adeo vt omnes sanos homines, qui post se fuerunt, a scribenda de

rebus suis historia deterruerit. Ac talem quidem, quod ad literarum cognitionem attinet, fuisse Traianum scriptores tradunt: at nos iam non amplius ab aliis audimus, sed ipsi præsentes magna cum admiratione sæpenumero videmus te ita docte, ita memoriter, ita subtiliter loquentē ac disserentem modo de versibus poetarum, modo de monumētis historiarū, modo de dogmatibus Astrologorū, modo de aliis huiusmodi liberalibus reconditisq; doctrinis, vt cum multis & magnis harum artium professoribus non iniuria interdum nobis cōferri posse videaris. Atq; hæc omnia fecisti, non dum natus annum trigesimū tertium, vt ante dixi, hoc est, cum nō dum pertransieris dimidiū ætatis tuæ cursum. Quòd si, quantum antea profecisti, tantū posthac proficies, vt certe proficies in omni genere virtutum & scientiarum; iam non verebimur te non solum cum Romulo & Traiano, sed etiam cū C. Iulio Cæsare, illo gentium omnium domitore conferre. Etenim si tibi, quemadmodum Cæsari, non cōtigit, vt in maxima illa Repub. Romana nasceręre; vt inuictissimi illius populi Dux & Imperator esses; vt in tot tamq; diuersis prouinciis bella gereres; vt toties domum victor & triumphator redires; si hæc, inquam, omnia tibi non contigerunt; non propterea tamen animum geris minus inuictum & insuperabilem, quàm Cæsar; non personam minus heroicam & diuinam, quàm Cæsar;

nõ faciem & vultum minus Imperio dignum, quã Cæsar; non membra minus robusta & militarium omnium laborum patientia, quàm Cæsar; non deniq; totum corpus omni ex parte minus perfectũ & absolutum, quàm Cæsar. Ex quibus omnibus intelligitur, siqua forte in virtute ac laude nec antea excelluisti, nec posthac excelles, sicut Cæsar, quo minus id assecutus fuisti, aut assequeris; tibi non animum, non mentem, non diligentiam, non industriam; sed vel naturam, vel fortunam, vel locum oportunum, vel occasionem idoneam vel defuisse, vel defuturam esse. Sed iam hic finem facio laudandi & celebrandi tui, non, quia nõ multa alia habeam, quæ in te laudare & celebrare possim: sed ne forte innumerabilibus tuis laudibus, te præsente & audiente, recensendis, quamuis verissimæ & iustissimæ sint, offendam pudentissimas & modestissimas aures tuas. Quare iam, omissis laudibus & præconiis tuis, ad cohortationes precesque me conuerto, breuiterq; te hortor, non tanquam cohortationibus negligentem excitaturus, sed tãquã stimulis quibusdam quasi equum sponte sua currentem incitaturus, vt, quemadmodum hactenus fecisti, & nunc cum maxime facis, populos & subditos rectissime & iustissime gubernes; omnibus iustitiam & æquitatem, sine quibus vrbes, & ciuitates stare non possunt, administres; quod suum & proprium tam in mercibus commutandis, quàm

in bonis distribuendis vnicuique tribuas, maleficos & facinorosos homines supplicio digno afficias: & denique religionem & pietatem, quibus duabus virtutibus Respublicæ potissimum conseruantur, tuearis. Ex eis enim magis, quàm ex aliis omnibus verissimæ & solidissimæ laudes nascũtur. Quod autẽ ad preces attinet, oro & obsecro Deũ Opt. Max. & vnà cum eo etiam Diuum Nicolaum protectorem tuum, cuius diem festum hodie celebramus, vt tibi concedant, vt quam longissimo temporis spatio perfruaris tuo isto tam pulchro, tamq; munito oppido, quod tu tibi ipse condidisti, & prope dicam manibus tuis construxisti: Deinde vt tuam istam Academiam a te tam studiose institutam perpetuo florentem, &, (quod vnum maxime spectasti) quamplurimos homines doctissimos ex sese assidue proferentem videas: & postremo tuo isto natali die quotannis feliciter redeunte vnà cum subditis tuis tibi tã obedientibus totum vitæ tuæ tẽpus in perpetua pace & vitæ trãquillitate felix fortunatusq; viuas.

Dixi.